

## COMMENT. IN GENES.

1575

dosint. 1. de pace, commerciis, aut a-  
micitia, quæ Deo non præiudicet. 2. nō  
firmentur per idola, sed per veri Dei  
cultum à piis: quicquid impii faciant.

55. SVRREXIT LABAN. Ter-  
tia circumstantia, læta catastrophe. Re-  
uertitur Laban amicus & bene preca-

1576

tus filiabus. Sic Iacob liberatur. Exem-  
plum congruens ad regulam: Multæ tri-  
bulationes iustorum, sed ex omnibus liberabit  
eos Dominus. Item: Diligentibus Dominum  
omnia cooperantur ad bonum. Item: In De-  
mino confido, quid faciat mihi homo?

## CAPITIS TRIGESIMI SECUNDI Argumentum, Vetus, Partitio, Analysis.

**H**AEC tenuis fuit septima sección libri iuxta Hebreos de peregrinatione Iacobi. Sequitur octaua,  
quæ inchoant Hebræi à versu 3. huius capituli, & ab initiali dictione vocant מִלְחָמָה & mi-  
litia, usque ad caput 37. de reditu Iacobi in terram Canaan.

Hoc capite memoratur, quid ei digresso à socero contigerit in via. Exercetur duplice periculo:  
metu fratris, quem sciens sibi infestum muneribus placare cogitat; & lucta cum angelo. In priore  
est tentatio desertionis Dei, quia metuit, ne à fratre potentiore opprimatur destitutus à Deo. In po-  
steriore est grauior tentatio ira diuinæ; quia videtur Deum habere hostem, à quo laceſſitur ad pu-  
guam, & vulneratur in coxa. Sed in utraque egregie sustentatur à Deo, & vincit precibus & fidei  
prudentia atque constantia. Vedit enim circa se castra angelorum Dei disposita; cum fiducia prouin-  
dentiæ Dei prudenter coniungit media: & ex lucta licet cruenta victoriam cum benedictione re-  
portat.

Docemur, vitam nostram esse perpetuam militiam, & esse quidem catenata certamina: sed  
esse totidem exercitia diuina, quibus fiducia & inuocatio Dei in nobis excitetur, & quorum licet  
ali quando difficilis, semper tamen salutaris sit exitus, sicut dicitur: Sed in his omnibus glorio-  
se vincimus per eum, qui dilexit nos. Et: Deus dabit cum temptatione exitum. Horum  
nos commonefaciunt versiculi:

Nunquam bella piis, nunquam discrimina desunt,

Et cum quo certet, mens pia semper habet. Et:

Nobile vincendi genus est mala vincere posse:

Nobilius multo vincere posse Deum.

Partes duæ sunt.

Prima est profectio Iacobi in Canaanam, usque ad vers. 24.

Altera est luctatio cum Angelo.

Vtraque suis subdividitur membris.

In prima est, 1. Occursus angelorum, v. 1. 2.

2. Legatio ad fratrem, v. 3. 4. 5.

3. Consternatio Iacobi ex responso legatorum, v. 6. 7.

4. Media quibus in consternatione se munit contrapericulum, usque ad vers. 22. Sunt autem  
tria.

Primum, Diuisio familie in duas turmas, v. 7. 8.

Secundum, Precatio ad Deum, vers. quatuor.

Tertium, Munera præmissa ad placandum fratrem, vers. nouem seqq.

5. Traiectus fluminis Iaboc, v. 22. 23.

In secun-

proph in E.  
F. g. am.